

in suo vigore maneret, Cenitenses ecclesie sibi subdite essent, iustum nobis iuxta sacros canones videbatur esse una cum ipsis patribus, Calisto scilicet atque Tarvisiano necnon Pataviense, ut Cenitense episcopium omnem diocesem Opitergine ecclesiae teneret et possideret. Tunc vero prescripti patres, Calistus scilicet patriarcha et Ticianus, Tarvisianus episcopus necnon Pataviensis, consenserunt et relaxaverunt omnem illam parrochiam integre Cenitensi ecclesiae et ejus episcopo Maximo, qui tunc erat, cunctisque suis successoribus, quam antiquitus Opitergina sedes tenere videbatur, auctoritatem canonicam diligentissime inspicientes, et ita de hac re finita est contentio. Unde amodo et in perpetuum has utrasque partes in eadem definitione et deliberatione permanere volumus et firmiter precipimus, dantes hec precipue mandata omnibus patriarchis, episcopis, ducibus, (marchionibus, comitibus), universisque gentibus nostris, ut nullus eorum ullo unquam tempore contra hanc nostram institutionem et legitimam diffinitionem audeat ire vel insurgere, sed omni tempore nostris quidem felicissimis temporibus hoc in eadem deliberatione quiete dimittant permanere.

Ex dicto domno regis Hatto notarius scripsi, vice Walchis notarii.

Data in Ticinensi palatio. sexto die mensis junii, anno felicissimi regni nostri trigesimo primo, per indictione (sic) undecimam. Feliciter.

..... in Vico novo, in honore Sancti Vigili, subditas habens has villas de subtus colle S. Floriano, vico Auriligus, vico Adolarius. vico Cornario. vico Balnanicus. vico Carbonacus. vico Cappraria (?). vico Mucinicus. vico Amiriana. vico Avivario. vico Carpinico de supra. vico Carpinello. vico Ancillarola. vico Ballanicus.

28. - 757, 14 aprile. *Pactum sive promissio per Pipinum patricium Stephano II pontifici* (Promissio Carisiaca).